

**Disputationum Logicarum ex Organo Aristotelis || QVARTA:|| DE PRAEDICA-
||MENTIS, SVBSTAN-||TIA, QVANTITATE || & QVALITATE:|| Quam DEI auxilio ||
Praeside || M. NICOLAO VVILLE-||BRANDO Philosophiae practicae professeore
publico || defendere conabitur || IOHANNES HVSWEDELIVS || Hamburg.||
Habebitur Disputatio 3. Idus Mart. publicè in Auditorio magno.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1596

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1789212308>

Druck Freier  Zugang



N. Wallebrand.

R.-U. phil. 1596.

Disputationum Logicarum ex Organo Aristotelis

QVARTA:

DE PRÆDICA-
MENTIS, SVBSTAN-
TIA, QVANTITATE
& QVALITATE:

Quam D E I auxilio

Præside

M. NICOLAO VVILLE-

BRANDO *Philosophia practica professoꝛe publico*

defendere conabitur

IOHANNES HVSWEDELIVS

Hamburg.

*Habebitur Disputatio 3. Idus Mart. publicè
in Auditorio magno.*

ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandri,

ANNO

M. D. XCVI.



Amplifs. prudentissimisq̄ue Viris,
Dn. HIERONYMO VOGLERO,
Patricio & Reip. patriæ Senatori dignissimo:

&

Dn. ALBERTO HACMANNO,
Patricio & civi Hamburgensi, Ecclesiæq̄ue patriæ
ad D. Nicolai jurato fidelissimo:


Dominis & patronis meis sum-
mâ observantiâ colendis.



I cum aliis, Amplifs. Prudentissimiq̄ viri, res mihi
esset, qui harum rerum aut imperiti iudices, aut im-
portuni osores omnia ex sui ingenij normâ tantum
meriuntur, haberem fortean, quod auribus eorum
molestiam, oculis dolorem, animo agritudinem crearet. Nunc pri-
scum illum saltem vis obduco, qui huius farinæ homines de Prædica-
mentis, nobilissimis agri Logici fructibus, parum dextrè sentientes,
decem Categoriis dignos autumavit. In quam sententiam me her-
cule pedibus eundum censeo. Sed hæc eò, nempe, non ut vobis viri
Amplifs. qui hanc pugnam olim pugnastis, horum scævitatem subla-
to digito monstrarem, sed ut vestra etiam suffragia de hoc cursu exqui-
rerem. Ut enim ij, qui pugnam spectant, ipsi eius periti, ipsi coronati,
ipsi emeriti rectius de intentantibus & excuntibus iudicium pronunciant:
Ita ego VV. AA. de hac disputatione arbitrari pro autoritate ve-
strâ, conditione meâ audaciusculè peterem. Licet enim *περὶ αἰ
Comicus, τὸ πρῶτον, πῶς τὸ δεύτερον, ἀδρός ὁ πῶς* est de hisce
predicamentis, de quibus quid ego predicem, juxta scio cum ignariss-
simis: tamen sub Dei Opt. Max. auspicio, Vestre Autoritatis scu-
to, M. NICOLAI VVILLEBRANDI, viri, de quo veritas veræ
eruditionis, elogium nunquam spernet, qui mihi ad hoc certamen dux
& autor fuit, presidio, in hanc arenam descendi, ut & ego cum iis con-
grederer, à quibus vinci esset optabile. Non igitur hæc me absterre-
bunt, quin si hac hostiâ parum lito, secundâ VV. AA. sim factu-
rus, modò VV. AA. vicam mentemq̄, quam habent, DEUS Opt.
Max. conferret, mihi diuinam favoris auram perennet. Quod vo-
veo optoq̄.

VV. AA. diligentiss. cultor

Johannes Huswedelius.





Disputationum Logicarum ex Organo
Aristotelis, Quarta
DE
SUBSTANTIA, QUANTI-
TATE & QUALITATE.

I.



Rimam partem eorum, quae in libello Categoriarum ab Aristotele in Organo sunt tradita, proximâ disputatione absolvimus, sequitur nunc altera pars de ipsis Categoriis seu prædicamentis, quam duabus disputationibus *αὐτὴν* *ἰσὺς* *ἑκείνου* pertractabimus, in hac de substantiâ & accidentibus absolutis, in sequenti de relatis acturi

2. Nomen autem Categoriarum primò accusationem significat, quod patet ex dictione Demonactis, qui, cum Herminium Aristotelicum quovis vitio pasci videret, eum decem Categorijs dignum esse dixit, teste Luciano in vitâ Demonactis. Deinde nomen hoc ad Logicorum scholam est traductum, in qua cuiuscunq; rei de aliquâ Commemorationem seu prædicationem denotat, quamvis hoc loco *κατηγορία* nec accusationem significet nec prædicationem propriè, sed classem, ex qua genera & species, ex quibus prædicationes constant, depromuntur. Vnde Latini hanc vocem non prædicationem, sed prædicamentum verterunt.

3. An verò Categoria seu prædicamenta etiam summa genera vocari possint, questionis est. Tametsi enim in ea sint opinione quàm plurimi, & Porphyrius quoq; in prædicabilibus docere videatur, dari in vnaquaq; Categoria, supremum, media, & infimum, ex quibus supremum dicatur genus summum seu generalissimum, infimum species specialissima, & media nunc pro generibus habeantur, si nimiràm ad inferiora fiat relatio, nunc pro speciebus, si conferantur cum superioribus: Si tamen id quod res est, dicere ve-

H

limus

velimus, cum genus de speciebus non dicatur secundum prius & posterius, sed ex æquo de ijs prædicetur, prædicamenta verò comprehendant omnia significata non modo synonymis vocabulis expressi, verum etiam plura significantibus secundum prius & posterius, cuiusmodi est, vt reliqua taceam, substantia, quæ, quia vt ipse quoq; testatur Aristoteles, primò, hoc est, indiuiduis substantiarum primò competit, ac earundem speciebus & generibus secundario propter primas, atq; etiam, vt ex Metaphysicis liquet, æternis & caducis & ceteris quæ toto genere discrepant, ex æquo non tribuitur, nihilo magis erit genus eorum, quæ sub eâ continentur, quàm Ens prædicamentorum seu rerum omnium tam earum quæ per se subsistunt, quàm quæ in alijs insunt, genus esse perhibetur.

4. Vocabulum igitur substantiæ commune est, quatenus *κατηγορία*, & non quatenus genus, ex quo perspicuum est, cur Aristoteles non de decem generibus, sed de prædicamentis hunc librum inscripserit. In his autem non voces tantùm, vt Nominales Logici putarunt, neq; sole notionem, sed, vt Græci dixerunt, & Aristoteles docuit, totaq; Arabia suo consensu approbavit, voces res per medios animi conceptus significantes comprehenduntur. Hinc Simplicius in præfatione Commentariorum, quos in Categorias Aristotelis scripsit, Categorias describens ait, eas esse *ἑνὰς οὐρανίας τὰ πρῶτα καὶ ἀσώτων τῶν νοημάτων*.

5. Neq; hæc descriptio discrepat ab eâ, quam Aristoteles adfert, quando dicit Categorias esse, *τὰ καὶ μηδεμίαν οὐρανίαν λεγόμενα*, vocabula rem vnâ, vnâ mentis notionem significantia. De quorum numero inter Philosophos olim non conuenit.

6. Pythagoræi enim viginti statuerunt summa rerum vocabula & decem *οὐρανίας* bonorum & malorum posuerunt. Stoici, auctore Simplicio, quatuor duntaxat esse docuerunt, Substantiam scilicet, Quantitatem, Qualitatem, & Relationem, quibus reliqua & res omnes comprehendere posse sunt opinati. At nos Aristotelem sequentes, neq; plura neq; pauciora esse istis decem, Substantiâ, Quantitate, Qualitate, Relatione, Actione, Passione, Quando, Vbi, Situm esse, & Habere, liquidò affirmamus.

7. Eorum enim, quæ primis seu indiuiduis substantijs V. G. Socrati attribuntur, alia de ijs prædicantur in quid sit, vt genera & species substantiarum V. G. homo & animal. Alia aliter, vt accidentia, quorum non unum genus est. Aut enim quaeritur de Socrate Quantus & quâ sta-

turâ,

ura, & Qualis fuerit, formosus an deformis, aut Vbi fuerit, aut Quando, aut Quid egerit, aut Quid passus sit, aut quo Habitu seu vestitu vsus sit, diuesne an pauper fuerit, aut Quo situ vel gestu fuerit cum docuit, sedens an stans, aut deniq; Quomodo affectus ad alios homines vel res extra se positas, priuatius an in magistratu, ciuis an aduena. Diuersa hæc cum sint questionum genera, ea etiam, quæ ad hæc respondentur, accidentia, vocabulis distingui debent.

8. Generalis itaq; harum decem Categoriarum distinctio hæc est. Res omnes, quas aut sensu percipimus, aut animo concipimus, aut verbis explicamus, aut per se subsistunt & sunt substantiæ, aut non nisi in substantijsherent atq; subsistunt, & dicuntur accidentia. Atque ita vnum habemus predicamentum, quod reliquorum omnium est fundamentum & basis, Substantiam scilicet. Accidentium autem magna varietas est: Quædam namq; prima sunt, quædam à primis orta. Ex primis quædam dicuntur absoluta, quædam relata. Illa insunt & dicuntur absolute, hæc autem alterius respectu, quod extra est. Absoluta accidentia aut partitionem admittunt & dicuntur quanta, aut non admittunt & dicuntur qualia. Ex his oriuntur alia accidentia. Substantia enim suarum beneficio qualitatum agit & patitur, neq; vlla est, quæ non agat aliquid & patiatur. Ex quantitate autem existunt Vbi & quando. Tempus enim & locus in quantitate collocantur. Est autem Vbi in loco esse, quando in tempore esse. Omnes enim substantiæ & alicubi & aliquando sunt. Postremò ex relatione duorum ad inuicem corporum emergunt Situs esse & Habere. Vtrumq; enim spectatur inter duo corpora aut duas eiusdem corporis partes ad inuicem collatas, aut ex collatione partis ad totum corpus. Neq; hæc duo dicuntur absolute, sed respectu alterius quod extra est. V. G. pronus & supinus respectu cæli & terræ. Et armatus dicitur, qui gladium gestat aut aliud genus armorum. Neq; tamen simpliciter sunt Relata. Relatio enim proprie dicta consistit inter duo relata. Situs autem & habitus spectantur inter duo absolute.

9. Ex hac qualicunq; distinctione patet, non esse pauciora quàm decem predicamenta. Quod autem non sint plura, inductione probari potest. Non enim vllum nomen *αὐτὸ σωματικὸν* dari potest, quod non pertineat ad vnam ex his decem Categorijs. Exemplum predicamentorum omnium est apud Homerum Iliad. & in persona Apollinis; & non dissimile exstat in oratione Isocrati pro Helena, vbi raptam describit à Theseo Helenam.

10. Porro inter prædicamenta primum obtinet locum substantia, quia & nobilior species Entis est, & fundamentum reliquorum omnium prædicamentorum, cum à substantia nullam reliquorum re ipsa separari possit, licet mente & cogitatione quantitates à substantia separent Mathematici. Substat igitur accidentibus substantia, vnde à quibusdam desinitur, quod sit Ens, quod per se subsistit & sustinet accidentia. Græci sic desiniunt *ὅτι ἐστὶν οὐκ ἐκ τινος, μηδὲν ἄλλο δέοντων τῶν τῶν ὅτι ὡς ἀρχὴν*, quæ desinitio substantiæ compositæ rectè competit, si quis eam ad accidentia conferat, cuius collationis certè causa sic describitur.

11. Quando dicimus substantiam sustinere accidentia, distinguitur increata à creatis, de quibus hic tantùm agitur, quamvis neq; de his omnibus, sed de compositis duntaxat. Quæ de re sic loquitur Ammonius. Differit hic Aristoteles neq; de simplici illa quæ præstantior est composita, quales sunt, Deus, Angelus, mens, anima, (quia, Theologum vt ageret, sibi non fuit propositum) neq; de simplici illa & deteriori composita, quales sunt, materia & forma (neq; enim philosophari illi propositum fuit) Sed de solâ composita, quæ à rudioribus intelligi facilius potest.

12. Substantiam compositam Aristoteles in primam & secundam distinguit. Prima substantiæ sunt individua substantiarum, vt Petrus, hic homo: Secunda harum species & genera. Hanc diuisionem esse æquiuoci in sua æquiuocata, seu eorum quæ secundum prius & posterius dicuntur, exinde patet, quod prima substantia *ὡς ὅτι τὸ πρῶτον* substantia dicatur. *πρῶτον* dicitur, tum tempore, quia individua sunt antequam mens nostra ab ijs secundas substantias abstrahat, tum cognitione, quia nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensibus. *Μετέπειτα* dicitur, quia est subiectum secundarum substantiarum de quo, seu prædicationis, vel *ὡς ἐκ τινος*, & accidentium in quo seu *ὡς ἀρχὴν*, vel inhaesionis.

13. Cum ergo de primis substantiis dicantur secundæ, & in ijs quoq; sint accidentia, sequitur, destructis primis fieri non posse, vt reliquorum aliquid supersit. Quamvis igitur secundæ substantiæ Platoni extra intellectum subsistere vise sint: Nos tamen eas præter singularia & extra intellectum *τῶν τῶν* esse & nugæ & figmenta Platonica in disputatione de prædicationibus, & aliis quoq; probauimus, id quod hoc loco etiam repetimus.

Ceterum

14. Caterùm ex secundis substantijs species sunt magis substantiæ quàm genera, quia ad primarum naturam proximius illæ accedunt, & si de primis queratur, quid sint, magis propriè species quàm genus responderetur. V. G. si queratur, Quid fuit Bucephalus? rectius & melius responderetur, quòd fuerit equus, quàm quòd fuerit animal. Genus enim purè est $\epsilon\upsilon\upsilon\omicron\mu\omicron\tau\omicron\upsilon$. Species verò singularium per intellectum collectio, atq; idèd magis quid res sit explicat hæc, illud verò imperfectiorem & magis confusam nobis suggerit noticiam.

15. Deinde cum primæ substantiæ ex eo quoq; maximè sint substantiæ, quòd subiiciantur secundis & accidentibus, eadem ratione, quia species generi subiiciuntur, magis substantiæ, quàm genera sunt dicendæ. Genera enim predicantur de speciebus, vt species de indiuiduis. Atq; idèd iuxta Topicum locum è $\pi\alpha\rho\chi\epsilon\iota\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\epsilon\tau\epsilon\rho\omega\kappa\alpha\iota\tau\omicron\upsilon\lambda\omicron\iota\omega\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\lambda\omicron\iota\omega\tau\omicron\upsilon$. Et hoc pacto substantiæ κατὰ τὸ βᾶθῶς considerantur.

16. Sed & κατὰ τὸ πλάτῶς huius predicamenti consideratio suscipitur, quando species speciei, indiuiduum indiuiduo conferimus, quantum ratione eâ, quâ substantiæ sunt, specierum cum speciebus, ac indiuiduorum cum indiuiduis est æqualitas. Vt enim Socrates non magis est substantia quàm Bucephalus: Ita quoq; homo non est magis substantia, quàm equus, quippe cum diversæ species primarum substantiarum sub uno genere contentarum æqualiter de suis indiuiduis predicentur, usq; æqualiter conueniant. Non enim homo de Socrate conuenientiùs dicitur, quàm equus de hoc equo vel Bucephalo.

17. Ex quo & hoc sequitur, præter species & genera substantiarum, exceptis primis substantijs, non esse alias substantias, quia species & genera de primis in Quid sola predicantur, & ad quæstionem in quid de primis substantijs factam per genera & species tantum responsio instituitur. Verùm quia prima substantia, vt diximus, subiectum est & $\omega\epsilon\delta\epsilon\varsigma\upsilon\pi\alpha\rho\chi\epsilon\iota\tau\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\omega\epsilon\delta\epsilon\varsigma\kappa\alpha\tau\omicron\upsilon\gamma\omega\epsilon\iota\alpha\tau\omicron\upsilon$ idèd principalissimè est substantia: de speciebus verò & generibus cum accidentia non dicantur $\omega\epsilon\gamma\omega\gamma\mu\epsilon\upsilon\omega\varsigma$, sed κατὰ δὲ $\delta\epsilon\tau\epsilon\rho\omega\lambda\omicron\gamma\alpha\nu$ & propter indiuidua de ijs predicentur, ob id secundæ sunt substantiæ.

18. Commune autem omnibus substantijs est, in subiecto non esse.

Neq; hoc dubium esse potest de primis, quæ cum sint omnium rerum subiecta & per se subsistant, in subiecto esse dici non possunt. Neque etiam secundæ sunt in subiecto, quandoquidem non $\tau\epsilon\tau\alpha\omega\nu\mu\omega\varsigma$ ut accidentia, quæ proprie in subiecto esse dicuntur, sed $\sigma\omega\omega\nu\mu\omega\varsigma$ de primis prædicantur, quibus non modo nomen secundarum substantiarum, sed & eius nominis definitio competat. Sic homo in prædicatione tribuitur Socrati & eius quoq; definitio, quæ est animal rationale, eidem rectè attribuitur. Deniq; partes substantiarum cum sint partes, atq; ijs definitio $\tau\alpha\upsilon\tau\epsilon\upsilon\tau\omega\tau\epsilon\mu\omega\varsigma$ non conueniat, in subiecto esse dici non possunt. Partes enim rem, cuius partes sunt, constituunt, nec est totum extra partes: At accidentia tantum abest ut subiectum constituant, ut nisi in eo sint, ipsa per se nihil sint.

19. Sed hæc proprietas, si proprietas dicenda est, quæ omni & non soli competat, etiam differentijs est communis. Hæ enim non minus quam substantiæ in subiecto non sunt, verum de eodem $\sigma\omega\omega\nu\mu\omega\varsigma$ dicuntur. Neq; mirum videri cuiquam debet, cur differentia in hac Categoria non sint collocandæ. Etenim licet genus substantia sit, & essentia æquè pars sit differentia atq; genus, cum hoc materiam, illa formam denotet: Quia tamen de subiecto non in quid, sed in quale prædicatur differentia, & ratio prædicationis maxime in Logicis attenditur, eo modo, quo genera & species substantiæ dicuntur, substantia negatur. Si verò naturæ ratio habeatur substantia est, eo quod formam principalem essentia partem denotet; Non igitur aberrant, qui eam qualitatem essentialem etiam in Logicis appellendam censent.

20. Sequitur igitur ex prima conditione & hæc secundæ, quod secundæ substantiæ & differentia de primis substantijs $\sigma\omega\omega\nu\mu\omega\varsigma$ seu vniuocè prædicentur. Species enim de indiuiduis, de indiuiduis & speciebus genus & differentia dicuntur. V. G. Homo ut species de Petro prædicatur, ita ut illius & nomen & definitio huic competat, sic animal & rationale de Petro & homine dicuntur. Prædicationes igitur, quæ ex substantijs & differentijs essentialibus sumuntur, esse vniuocæ constat.

21. Porro omnis substantia videtur $\tau\delta\ \delta\epsilon\ \tau\alpha\ \text{hoc}$ aliquid i. e. rem certam & numero vnam, qua digito monstrari potest, ut hic homo & non alius, hæc arbor & non alia, &c. significare. Id quod de primis verum manifestumq; est. Secunda autem $\tau\omega\varsigma\ \chi\eta\ \mu\epsilon\lambda\ \tau\eta\varsigma\ \omega\epsilon\sigma\tau\epsilon\tau\epsilon\omega\varsigma$ h. e. ut
Simplicius

Simplicius interpretatur, τὸ ἀρχαῖον λέξεως ob figuram dictionis τὸ δὲ ἢ significare videntur, vt si quis querat, Quid est hoc quod nobis occurrit? aptè respondetur, homo est, aut animal est, aut Plato. Omnia hæc respondentur ad questionem, quâ queritur τί ἐστὶ τὸ πρὸς. Cùm igitur & homo & animal non minus atque Plato ad explanationem eius de quo queritur, τὸ δὲ τί significare videntur, quod tamen vocabula non res ipsas spectantibus apparet. Nam homo & animal non significant rem certam & numero vnâ, quæ digito monstrari possit, quin potius vtrumq; multa denotât, homo vt species plura, imò omnia sub se contenta indiuidua, animal vt genus, omnes suas species, eorumq; indiuidua. Quamuis igitur genera & species non significant τὸ δὲ ἐν τῷ αὐτῷ, vt accidentia (quorum etiâ singularia rem numero vnâ, & certam, ac definitam, sed in alio inherentem, non .a. per se subsistentem denotant) Aristoteli tamen ἀπὸ τῶν ἢ potius notate videntur, non quidem vt album, nigrum, calidum, &c. quæ absolute & simpliciter sunt accidentia, sed τῷ αὐτῷ τὸ πρὸς ἢ. e. quale essentiae seu qualitatem substantialem, ita quidem vt ἢ τὸ δὲ τί respectu primarum competat.

22. Atq; hæc tres, de quibus iam diximus, conditiones substantiam, nomen eius respicientes descripserunt, respectu vel τῆς ἀρχαίας philosophicè seu ἀρχαίας vt prima, vel τῆς νεωτέρας καὶ τῆς φωνῆς vt secunda vel τῆς ἐνοίας aut νοήσεως vt tertia. Tres autem reliquæ substantiam externâ quâdam notâ & affectione ostendunt, & quia motus proprium eius τὸ δὲ ἐστὶ; prima, quæ aliâs est in ordine quarta, motus extremos terminos à quo & ad quem, altera, quæ est quinta, modum processus in motu, qui per intentionem ac remissionem successiue fit, ex vno contrariorum in aliud, tertia, vel sexta, ipsam motum seu mutationem concernit.

23. Quarta igitur in ordine substantiarum conditio est, quod nihil illis sit contrarium. Contraria enim insunt in alio, vt in subiecto, substantiæ vero neutiquam. Aqua igitur & ignis non sunt contraria, quamuis videantur, propter contrarias qualitates. Aqua enim frigida & humida; Ignis vero calidus & siccus. Contraria autem sunt, quæ in eodem genere posita longissimo interuallo à se inuicem distant, sed, vicissim ex vno & eodem subiecto, quod contrariorum capax est, expellunt. Sed hæc conditio

solis

solis substantijs non competit, cum & quanta, precipue à ποσειδωνία, ut tricubitus, bicubitus, octo, decem, viginti &c. contrarium nihil habeant, nec cuiq; sint contraria. Nam quanta quæ dicuntur ἀόριστοι h. e. indefinita & incerta, ut magnum, paruum, longum, breue, multum, paucum, &c. relata potius sunt, quam quanta, ut deinceps dicitur, neq; etiam sunt contraria sed opposita.

24. Porro (quod est quintum παραχολόγημα) substantia non recipit magis ac minus. Quippe, ut ait Ammonius, ἐν τῶν πέντε πέντε τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἥττον γίνεσθαι, ἐν οἷς καὶ ἡ ἐναντιότης, tametsi non omnia contraria hanc conditionem recipiant. Non enim ea, quæ Aristoteli ἀμείωτα dicuntur, veluti par & impar, sed ea dυνάμει, ὅσα πέντε μίγνυσθαι ἀλλήλοις, quæ inter se commisceri possunt, quæq; ἐμείωτα appellantur, ut calidum & frigidum, album & nigrum. Contraria namque extrema sunt, magis verò & minus via quædam seu transitus ad contraria. Cum igitur substantiæ nihil esse contrarium paulò ante sit ostensam, eam quoq; magis ac minus non recipere exinde liquidò constat. Quod. n. in lib. de Gen. & Corr. Aer minus calidus, si ad ignem conferatur, ignis verò contra magis calidus, & aer magis humidus quàm aqua &c. docetur, id non ita accipiendum est, ut, quando in ijs Elementis qualitates recipiunt magis & minus, ob id statim & ipsa elementa, quatenus substantiæ sunt, magis ac minus recipere videri debeant, quandoquidem accidentia licet intenduntur ac remittantur, non tamen suam speciem perdunt, aer autem si ignei caloris mensuram accipiat, speciem suam amittit, sicuti etiam in cæteris elementis videre licet.

25. Non tamen ea, quæ diximus, cum superioribus, quæ primas quàm secundas, & ex his species quàm genera magis esse substantias ostendant, pugnant. Namq; si τὸ καὶ βᾶθρον τῶν ὀστέων πέντε ἑσθλῶ καὶ τῶν ζῶν considerauerimus, in ea collatione, vnam substantiam quàm alteram esse magis substantiam non sine ratione probauimus; si verò καὶ ὡδὸν, ut hoc loco, considerata fuerit substantia, quæ videlicet vna est & eadem siue eiusdem ordinis, non vtiq; ipsa seipsa neq; alia, vel hoc vel alio tempore magis aut minus est aut dici potest substantia. Socrates V. G. seipso non fuit magis homo, neq; iuuenis, neq; senex, neq; etiam alio V. G. Platone. Sed & hæc conditio quantitatis competit, quæ etiam, quatenus sunt quantitæ, non intenduntur, neq; remittuntur.

Nihil

26. Nihil igitur substantiæ magis conuenit, quàm, quòd omnia quæ
sub ipsa sunt indiuidua $\pi\alpha\rho\epsilon\ \mu\epsilon\gamma\ \&\ \tau\omega\ \epsilon\upsilon\alpha\rho\tau\iota\omega\nu\ \&\ \delta\epsilon\chi\tau\iota\omega$
Hac enim Proprietas omni & soli conuenit substantiæ & semper competit.
Dico autem indiuidua, quia secundæ substantiæ cum sint $\acute{\alpha}\rho\gamma\epsilon\tau\iota\omega$, proprie
non sunt contrariorum capaces. Quamuis autem nec coruus albedinis,
nec cygnus nigredinis, nec ignis frigoris, nec aqua siccitatis, &c. capacia sint,
& præterea numerus par & impar esse, atq; ita contraria suscipere dicatur:
non tamen idèd hanc proprietatem non omni neque soli substantiæ compe-
tere censendum est. Numerus enim non quatenus vnus est numero, sed
quatenus vnus est specie, par & impar esse dicitur, quin etiam par & im-
par non tanquam in numero sunt, sed veluti in materia quæ in par & im-
par diuidi potest. Deindè non dicimus omnem substantiam omnium con-
trariorum esse capacem, ex quo fortassis illud quod de coruo & multis alijs
opponitur, inferri posset, sed asserimus simpliciter substantiam contrario-
rum capacem esse, licet non huius vel illius, aliorum tamen, V. G. Cy-
gnus etiamsi non sit capax nigredinis, neq; ignis frigoris &c. ille tamen
calidus esse potest & mox etiam frigidus, nunc letus nunc tristis &c. Ignis
autem motus deorsum per violentiam, qui est naturali contrarius, ca-
pax esse potest.

27. Neq; mouemur, si quispiam orationem ac opinionem contraria
suscipere dixerit, quod uidelicet vna eademq; ad numerum oratio vera &
falsa esse possit, cum ea quæ modò vera fuit & cum re consentiens, muta-
ta re etiam falsa fiat, similiter & opinio. Primum enim per $\epsilon\upsilon\alpha\rho\tau\iota\omega$
 $\pi\alpha\rho\epsilon\ \mu\epsilon\gamma\ \&\ \tau\omega\ \delta\epsilon\chi\epsilon\alpha\delta\epsilon\upsilon\ \tau\omega$
orationem & opinionem non mutari neq; per motum recipere
contraria, at substantiam non nisi immutatam contrariorum esse capa-
cem: Deindè per insciationem orationem simpliciter & omninò non
recipere contraria, sed contrarietatem esse circa res, de quibus seu opinio-
nem concipimus, seu oratione aliquid proferimus, respondemus.

28. Vndè iam satis patet, sextam hanc proprietatem substantiæ natu-
ram maxime indicare. Neque hæc pugnat cum quarta. Aliud enim
est contrariorum receptio, aliud ipsa contrarij natura, seu, aliud est con-
traria in subiecto recipi, aliud, ipsummet subiectum alteri contrarium esse.
Hinc substantia composita suscipit contraria, sed vna tamen alteri non est
contraria. Et hæc de substantiæ. ¶ Sequitur

29. Sequitur de Quanto, vel, quod idem est, de Quantitate. Quantum enim in genere neutro absolute positum quantitatem notat. Hanc autem post substantia categoriam statim esse explicandam, non tantum eius inter omnia accidentia nobilitas, ob quam secundum rerum subiectum nuncupatur, requirit, sed vel imprimis ideo fit, quia in precedenti predicamento de composita substantia, quam quantitas necessario sequitur, quamque in pluribus quoque proprietatibus, quam vllum aliud accidens, amulatur, actum est, ubi etiam crebra illius fit mentio, ut ob id explicationem eius diutius suspendere sit inconueniens.

30. Quin etiam eius cum substantia cognatio ex hac descriptione patet, qua ex quantorum resolutione definitur τὸ ποσὸν εἶναι τὸ διακετὸν εἰς ἐννοήματα, ὡς ἐκείτων ἢ ἐκείτων ἐν τῇ καὶ τὸ δὲ τῆ περὶ οὐκ εἶναι. Quantum est, quod in ea, quae illi insunt, quorum vtrique seu vnumquodque vnum quid & singulare esse natum est, diuidi potest. Cum enim accidentium proprie non sint partes, vtrique substantiae partes in hac descriptione τὸ δὲ τῆ dicuntur, ob quam causam Thomas Quantitatem substantiae mensuram esse docet, hoc est, illud substantiae accidens, ob quod in partes diuidi potest, siue metiri eam oporteat, siue numerare.

31. Est igitur duplex quantum, aliud continuum, idque finitur ποσὸν ὁ αὐτὸν μετρητὸν ἢ, quod vel in longum, vel in latum, vel in profundum, vel in omnia simul quis metiri queat: aliud discretum, quod est ποσὸν ὁ αὐτὸν δεξιότροπον ἢ, quod quis numero comprehendere possit. Vocatur autem continuum in Metaphysic. Μέγεθος. Discretum, τὸ ἀληθινό. Multum enim & magnum μέγεθος sunt & affectiones quanti.

32. Continui species sunt, Linea, Superficies, Corpus, & ob similitudinem ad superficiem Locus, & Tempus ob similitudinem ad lineam: Discreti, numerus & oratio. Quarum quaedam positionem habent, hoc est, ex partibus constant, ex quibus alia alius respectu hoc aut illo modo collocata aut sita esse dicitur, V. G. Hec pars sursum, illa deorsum, haec dextrorsum, illa sinistrorsum, &c. Cuiusmodi sunt omnia quanta continua praeter Tempus: Huius enim esse est ἐν τῷ κεντρῷ καὶ περιεπέδῳ, nec partes habet constantes: Quaedam vero quantitatum species positio-

nem not

uem non habent, vt Tempus, & discreta omnes. Nec enim quisiā in numero monstrare potest, quomodo eius partes inter se sint sita, aut vbi sita sint, aut quenam cum alijs cohaerant: Nec in oratione, cuius partes non sunt permanentes, quippe qui syllabas ac dictiones semel effatus est, easdem retrahere nequit. Sed haec de ordine accipienda non sunt, cum in omnibus quantis non solum $\epsilon\upsilon\ \tau\omicron\iota\varsigma\ \text{I}\epsilon\ \tau\omicron\iota\varsigma$, sed etiam $\epsilon\upsilon\ \tau\omicron\iota\varsigma\ \alpha\ \text{I}\epsilon\ \tau\omicron\iota\varsigma$ ordinem esse constet.

33. Ceterum continua quantitas appellatur, cuius partes vno communi termino continenter cohaerent, neq; a se inuicem sunt diuisae, V. G. Si singas punctum in Linea, communem habes terminum, quo partes lineae continenter cohaerent, quiq; vnius partis initium, alterius finis existit. Sic linea communis terminus est, quo superficiem, & superficies seu linea communis terminus quo corpus metimur, quae quidem omnia $\delta\upsilon\omega\ \alpha\ \mu\epsilon\delta$ non actu sunt intelligenda. Ad eundem modum, quia Locus superficies est corporis continentis, vt in Physicis docetur, & quia locum partes corporis occupant, non secus atq; corporis, etiam loci partes communi termino cohaerent. Temporis vero partes praeteritum scilicet & futurum continuantur ad instans Nunc, sicuti Lineae ad punctum.

34. Non est autem ignorandum, de linea, superficie, & corpore, hic non, vt Physici sed vt Mathematici ea considerant, non quatenus in materia sunt, sed quatenus cogitatione ab ea abstrahuntur, agi, vt ob id linea definiatur hic, longitudo sine latitudine; Superficies, longitudo & latitudo sine profunditate. Corpus, longitudo cum latitudine & profunditate. Longe itaque differt corpus Quantum, ab eo, quod in substantia consideratur.

35. Discreta quantitas dicitur, cuius partes communi aliquo termino non cohaerent, Partes numeri V. G. in denario quinque, & quinq;, vel septem & tria, vel 1. 2. 3. 4. sunt distinctae partes, neq; termino aliquo copulantur. Similiter & orationis partes non habent communem terminum quo cohaerent, cum vnaqueq; syllaba ab altera sit reipsa distincta. Intelligimus autem hic $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon$ non $\epsilon\upsilon\ \alpha\ \text{I}\epsilon\ \tau\omicron\iota\varsigma$ animo comprehensam orationem, quae ad Qualitatem pertinet, sed $\alpha\epsilon\omicron\ \Phi\omicron\epsilon\ \alpha\ \chi\omicron\upsilon$ ore pronunciatam, quae ratione diuersarum ac distinctarum syllabarum ad hanc Categoriā refertur.

36. Commune autem omnibus quantum est, quod contrarietatis sint ex-
pertia, cum quanta proprie dicta sint $\alpha\lambda\iota\upsilon\eta\tau\epsilon\varsigma$, ubi verò contrarietas, ibi
motus sit. De quantum definitis certò constat, quod illorum nullum alteri
sit contrarium V. G. Ternario numero & cubito &c. nihil potest dari con-
trarium. Sed de indefinitis ambigi potest: Magnum enim & paruum
multum & paucum, & similia contraria esse videntur. Verum hæc neq;
quanta sunt proprie, neq; ut maximè quanta sint, contraria sunt. Ea
enim non dicuntur absolute, sed in comparatione & relatione ad aliud. V.
G. Magnum respectu parui, paucum respectu multi: Atq; ideo potius sunt
Relata, hoc est, non significant absolutam quantitatem, sed relatam. Con-
traria verò non sunt, cum propter eandem rationem, quia non conside-
rantur absolute ut contraria, sed relate, tum etiam quia in eodem subie-
cto simul inesse possunt, diverso respectu, V. G. Nos homines magni di-
cimus, respectu pygmaeorum, parui autem respectu gigantum, quod contra-
riorum, quæ absolute sunt contraria, naturæ planè aduersatur.

37. Commune etiam hoc est quantum, quod in eodem ordine posita non
reipiunt magis & minus. Hanc enim proprietatem nulli categoriæ, cui
etiam prior non conueniat, competere ex ijs, quæ paulò ante in prædicamen-
to substantiæ ad hanc proprietatem diximus, est manifestum. Et eodem
hic modo hoc limitandum, quo ibi. Corpus enim magis quàm oratio quanti-
tas est, sed linea vna non est magis quanta, quàm altera, nec bicubitum vnum
est magis bicubitum altero bicubito, Numerus vnus non est magis numerus
aut discreta quantitas altero, atque ita consequenter in reliquis in eodem
ordine collocatis.

38. Denique æqualis & inæqualis dici quantitati maximè proprium
est. Hoc enim omni quantitati & soli conuenit, ita ut quicquid al-
teri æquale aut inæquale dicitur, id ob quantitatem sic dicatur. Intel-
ligendum autem hoc est, de quantitatibus eiusdem generis, quæ inter se com-
parari possunt. Sic linea lineæ, superficies superficiæ, corpus corpori, nu-
merus numero, &c. æqualis vel inæqualis dicitur, non tempus numero,
neque orationi locus, neque huic lineæ, &c. Et tantum etiam de
Quantis.

39. Porro cum alterum accidens absolutum, quod per se sine collatio-
-ne ad

ne ad aliud intelligitur, sit qualitas, à qua ratione formæ substantia qualis dicitur, sicuti ratione materiæ, à quantitate quanta appellatur, cumq; absoluta sint relatiuis priora, non abs re nos facere arbitramur, si que coniungenda sunt, non disiungentes post Quantitatis categoriam, prædicamentum qualitatis discutendum proponamus, non seruato eo ordine, quo non sine ratione in Organo Categoriarum tradidit Aristoteles, qui Relatorum explanationem prædicamento qualitatis ordine doctrina seruato præposuit. Aliud enim est populariter docere eos, qui in arte aliqua adhuc rudes sunt, aliud verò eius, quod iam cognitum est, veritatem conferendo ac disputando confirmare, vt ita in disputationibus, eundem ordinem, quo ad informanda rudiorum ingenia vtimur, seruare non sit necesse.

40. Qualitas autem, secundum quam subiectum quale, hoc est tale vel tale dicitur, cuiusq; gratia substantia efficax est, aut determinatur ad aliquid agendum vel patiendum, multis dicitur modis. Aut enim habitum & dispositionem designat, aut $\delta\upsilon\omega\alpha\mu\upsilon\nu\ \kappa\alpha\iota\ \alpha\delta\omega\alpha\mu\iota\kappa\alpha\varsigma\ \Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\omega\delta\omega$, aut qualitates patibiles & passionem, aut figuram & formam. Omnis n. secundum illos modos qualitas aut ad actionem refertur, & vel in potentia sola consistit, vt secunda species, vel in actu primo vt prima species: aut quæta cum sit, principium tamen est mouens seu proximum, vt $\pi\alpha\rho\iota\tau\iota\kappa\eta\ \kappa\alpha\iota\ \pi\alpha\rho\iota\tau\iota\kappa\eta$, seu remotum, vt $\chi\eta\mu\iota\kappa\eta\ \kappa\alpha\iota\ \mu\acute{o}\rho\phi\eta$.

41. Ad primam igitur speciem, si dignitatis ordinem, quo ordine id quod dignius est & actionis principium internum, præfertur ei, quod est indignius, quodq; externam tantum actionum originem notat, sequamur, referuntur habitus & dispositio, quæ vno $\Delta\alpha\theta\acute{\epsilon}\sigma\iota\omega\varsigma$ vt generis nomine inter se comprehenduntur. Prout autem $\Delta\alpha\theta\acute{\epsilon}\sigma\iota\omega\varsigma$ seu dispositio specialiter sumitur, ab habitu differt, primò duratione. Habitus enim firmus est & longo tempore durat, nisi morbo aut graui aliqua mutatione aboleatur. Dispositio facillimè diuelli potest, quemadmodum & facillimè comparari. Quia n. dispositio nihil aliud est, quàm quidam ad habitum aditus ac præparatio, firmiorem & diuturniorem esse habitum, dispositionem vero minus diuturnam necesse est. Deinde dispositio latius patet quàm habitus.

Omnis enim habitus est quedam *ἡθικός*, non autem vice versa. Na
vbicunq; habitus, ibi dispositio, at non vbi dispositio illic & habitus.

42. Est igitur habitus *Qualitas* non natiua sed acquisita, cuius bene-
ficio homines possunt certius & perfacilius agere aut etiam pati ea, ad quas
agenda patiendaq; sua naturâ non erant inepti. Ad eum inducendum re-
quiruntur hæc quatuor: *δύσκολος* *φύσιν*, quam semper presupponit;
2. actiones, 3. earundem frequentia non interrupta, 4. iustum temporis
spacium pro cuiusq; hominis natura. Sed hæc de habitibus diuinitus in-
spiratis non sunt intelligenda. Habitibus deniq; *ἡθικός* sunt cer-
titudō, promptitudo, & facilitas.

43. Secundum qualitatis genus est *δύσκολος* *φύσιν* *ἢ* *ἀδύνα-
μία*, vis & imbecillitas naturalis. Vis seu potentia naturalis, quæ
opponitur artificiali, est quedamabilitas non exercitatione acquisita, sed
congenita rebus, ob quam aptæ redduntur & idoneæ ad aliquid facile effici-
endum & difficulter patiendum. Impotentia seu imbecillitas in rebus est, quæ
naturâ ineptæ sunt ad quasdam actiones. Sic asinus literas discere ne-
quit, quæ tamen aptitudo est in homine.

44. Ad tertium qualitatis genus referuntur patibiles qualitates, hoc
est, quæ vel sensui passionem inferant, vel ex passione aliqua oriuntur, &
indè subiecta nominantur qualia, non tam quod subiecta in quibus sunt, a-
liquod patiuntur, quam respectu sensuum, qui pati aliquid dicuntur, seu
affici ab obiectis sensibilibus, quemadmodum visus a colore, auditus a
vno.

45. Differunt autem passio & patibilis qualitas duratione potissi-
mum. Passio enim citò recedit: Patibilis qualitas quiddam constans est.
Sic pallor ex morbo diuturno est patibilis qualitas, pallor verdè ex metu su-
bito est passio. Et hæc dupliciter accipi solet. Aliquando enim passio
physicâ phrasi accipitur pro quavis affectione, cum videlicet animus affi-
citur gaudio, metu, & sensus afficiuntur à sensibilibus, & tunc proprie hic
locum habet. Aliquando communiter pro ea passione sumitur, quæ do-
lorem infert, & actioni opponitur, & tum peculiare constituit prædica-
mentum, de quo in sequenti dissertatione agemus.

46. Aliæ autem patibiles qualitates corporis sunt, aliæ animi. Corpo-
ris, quæ vocamus obiecta sensuum, vt color, sonus, lux, sapor, odor, & qua-
litates

litates tactiles, non solum primæ, vt Humiditas, frigiditas, siccitas, caliditas, sed etiam secundæ & ex primis ortæ, vt mollicies, durities, asperitas, &c. Animi qualitates sunt omnes affectus, vt amor, odium, misericordia, inuidentiæ, &c.

47. Quartum denique genus qualitatis est Figura, & quæ circa vnum quodlibet est, Forma, quæ ferè vel à naturâ vel ab arte dantur & insunt rebus. Sed figura propriè de rebus mathematicis & inanimatis dicitur: Forma autem accidentalis (quæ hoc loco tantùm consideratur) de animatis. Sic aliam Leonis, aliam hominis formam, & aliam circuli, aliam trianguli figuram dicimus. Spacium verò in figuris istis Mathematicis in quantitate existit.

48. Et hæc de qualitatis speciebus, à quibus dicuntur denominatiue aut quocunq; modo qualia, vt ab albedine albus, à Grammatica Grammaticus, à iustitia iustus, quanquam non in omnibus denominatio ista dari potest, vt in illis, quæ quidem natura sua qualitates habent, at his significandis posita nomina non sunt, qualia ferè sunt illa, quæ in secunda qualitatis specie ponuntur vt $\delta\pi\omega\mu\alpha\tau\delta\varsigma$, $\pi\omega\kappa\tau\iota\mu\alpha\tau\delta\varsigma$, &c. quæ vnde deriuntur, nomen non habent positum.

49. Prima qualitatis dignitas est, quod ei insit contrarietas, iniustitia enim iustitiæ est contraria, & nigredo albedini. Neq; id tantùm de qualitibus, sed de ipsis etiam qualibus verum est. Iustus enim iniusto, albus nigro, &c. contrarius. Excipiuntur autem figura & colores medijs quibus nihil est contrarium.

50. Secunda est, quod qualia recipiant magis & minus. Album enim magis & minus album dicitur alterum altero, & iustum alterum altero magis & minus dicitur. Sed de qualibus tantùm, non etiam de qualitibus hoc verum est. Recipiunt enim magis & minus ratione subiectorum, quoniam alterum habilis est altero ad suscipiendam formam, non autem eâ ratione, qua formæ sunt, recipiunt magis & minus, cum, qua ratione formæ sunt, simpliciter subsistant & desinantur. Valet igitur hæc proprietas non in abstracto sed in concreto tantùm, & neq; omnibus, neq; solis qualitibus competit. In figuris enim locum nullum habet, & conuenit quoq; actioni ac passioni.

51. Tertia proprietas hæc prædicamento maximè genuina est, quod similia & dissimilia iuxta solas qualitates dicantur, non secus atq; secundum quanti-

quantitatem res dicuntur *equales vel inaequales*. Similia enim sunt, quorum una & eadem qualitas est, dissimilia, quorum non una sed diuersa. Sic albus albo, iustus iusto similis: niger albo, iniustus iusto dissimilis dicitur ob eandem vel diuersam qualitatem.


52. Postremo alicui mirum videri poterit, cur Aristoteles cum de qualitate ageret, multa è re late commemorarit. V. G. Qualitas ferè nulla est, quæ non subiecti vel obiecti certi alicuius sit. Habitus enim & dispositio in nobis sunt, atq; ita respectum habent ad subiectum. Scientia rei scibilis scientia dicitur, Affectus etiam è tertia specie & ipsi in nobis sunt, at Qualitates patibiles non ita in nobis sunt & dicuntur relata nisi ~~re ipsæ~~ *re ipsæ*. Figurae autem Relata propriè dici nequeunt. In relatione enim ea duntaxat principaliter insunt, quorum essentia tota nihil est aliud, quam mutuus respectus.

53. Verùm Aristoteles ad hanc obiectionem dupliciter respondet. I. Genera in plerisq; qualitatibus ad aliquid referri, species vero eorum singulas non item. Genus autem in in species vsq; ad indiuidua est deducendum, cum hac ratione, ad quam Categoriam aliquid pertineat, optime intelligatur.

II. Non esse absurdum, vocabulum vnum diuersimodè consideratum in diuersis predicamentis collocari, licet vnaqueq; res aut notio principaliter ratione suæ essentia non nisi in vno collocetur predicamento, minus principaliter in alio. Sic mensa, poculum, &c. principaliter ad quartam qualitatis speciem referuntur, minus principaliter ad substantiam propter materiam ex qua constant. Sed de his in sequenti disputatione cum Iacq; pluribus agemus.

PROBLEMATATA.

- I. An diuisio substantiæ in primam & secundam sit generis in species aut alius cuiuspiam speciei diuisionis?
- II. An ex eo, quod nix cygno albior dicatur, inferre liceat, aliquam substantiam magis & minus recipere?
- III. An quia animal rationale, irrationali contrarium videatur, idè substantiæ aliquid esse contrarium, dicendum sit?
- IIII. An Quantitas de continua & discreta vt genus æqualiter dicatur?



Neq; hoc dubium esse potest de primis, quae cum sint omnium rerum subiecta & per se subsistant, in subiecto esse dici non possunt. Neque etiam secundae sunt in subiecto, quandoquidem non $\sigma\upsilon\upsilon\omega\nu\mu\omega\varsigma$ ut accidentia, quae proprie in subiecto esse dicuntur, sed $\sigma\upsilon\upsilon\omega\nu\mu\omega\varsigma$ de primis praedicantur, quibus non modo nomen secundarum substantiarum, sed & eius nominis definitio competat. Sic homo in praedicatione tribuitur Socrati & eius quoq; definitio, quae est animal rationale, eidem recte attribuitur. Demum partes substantiarum cum sint partes, atq; ipsae definitio $\tau\alpha\upsilon\tau\alpha$ $\epsilon\upsilon$ $\tau\omega\upsilon\tau\omega\epsilon\mu\epsilon\lambda\epsilon\upsilon$ non conueniat, in subiecto esse dici non possunt. Partes enim rem, cuius pars sunt, constituunt, nec existunt extra partes: At accidentia tantum in subiecto constituant, ut nisi in eo sint, ipsa per se nihil sint.

Et haec proprietas, si proprietas dicenda est, quae omni & non solum in hac differentia est communis. Haec enim non minus quam subiecto non sunt, verum de eodem $\sigma\upsilon\upsilon\omega\nu\mu\omega\varsigma$ dicuntur. Neq; quaequam debet, cur differentia in hac Categoria non sint colorum, nec genus substantia sit, & essentia aequae pars sit differentiae, hoc materiam, illa formam denotet: Quia tamen in qualem praedicatur differentia, & ratio praedicationis attenditur, eo modo, quo genera & species substantiarum negatur. Si vero naturae ratio habeatur, quam principaliorem essentiae partem denotet, Non enim eam qualitatem essentialem etiam in

20. Sequitur igitur differentia, quae est haec secunda, quod secunda substantia & differentia sunt. $\sigma\upsilon\upsilon\omega\nu\mu\omega\varsigma$ seu uniuocae praedicentur. Species enim in individuis & speciebus genus & differentia dicuntur. Vnde etiam retro praedicatur, ita ut illius & nomen & definitio huiusmodi & rationale de Petro & homine dicuntur. Praedicationes substantiarum & differentiarum essentialibus sumuntur, esse vniuocae.

21. Porro omnis substantia videtur esse uniuoca, i. e. rem certam & numero unam, quae digito monstratur, ut si dicitur, haec alius, haec arbor & non alia, &c. significare. manifestumq; est. Secunda autem $\tau\omega\upsilon\tau\omega\epsilon\mu\epsilon\lambda\epsilon\upsilon$ $\sigma\upsilon\upsilon\omega\nu\mu\omega\varsigma$ $\tau\omega\upsilon\tau\omega\epsilon\mu\epsilon\lambda\epsilon\upsilon$

